

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Turbo, sive moleste et frustra per cuncta divagans
ingenium**

Andreä, Johann Valentin

Altorfii, 1620

Scena III.

[urn:nbn:de:bsz:31-138638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138638)

Mihi illæ curæ erunt. B. Sed velles
quamprimum expeditum? A. Quidni?
eamus. B. Iro.

SCENA III.

Harlequin.

H. **Q**uod comptior nunc sum, mirū
ne sit, hæc Amoris prima nota
est, nescivissem me formosum nisi amā-
sem. Equidem cum illa mea Rubella
nunc oculos mihi collaudat, nunc na-
sum, nunc auriculas, mox barbam, vix
mihi tempero à fastu. Oporteret mea nunc
omnia nitere, & esse exquisitissima, in-
cessum exactum, pedes decenter positos,
manus & brachia regulas suas habere,
omnia ex tabulatura, quoniam amo, o-
culos, & annuentes, os sibilans, manus
gesticulantes, pedes leviter prementes,
& quid opus est verbis? universum cor-
poris alphabetum, & mutam linguam
debet fervire meis amoribus. Sed audi-
te: etiam Poëta factus sum, & rebellem
bellam Rubellam accuso simul & excu-
so, condemno & absolvo profectò ju-
cundis.

eundissimã inventionẽ. Sed vos concu-
piscitis? ha benè est, expectate, dum à
multis ingenii mei monumentis inqui-
ro Euge legam vobis, sed sub silentii
fide, &c.

1.

Rubel wist mi/ seit sie Ja/
Ha he hi ho hu Ju/ da da da.

2.

Rubel kanst wil/ seit sie Ja/
Fleisch fleuden fleich/ fleich id dich sah/

3.

Rubel gselst mir/ seit sie Ja/
Guck guden guck guck/ kom mi nah.

4.

Rubel ist gern/ seit sie Ja/
Bos boden bos bos/ Ich wird blau.

5.

Rubel hast nichts/ seit sie Ja/
Ey enden/ ey enden/ machst mich grau.

6.

Rubel leid dich/ sagt sie Nein/
Au auden/ au au/ Ich muess hetm.

Et alia plura, quæ excellentissimè pos-
sunt exprimi pedib⁹, cum magna vestra
gratia. Sed quò minus saltem, Turbo
impedit, cui per totum diem & inte-
gram

gram noctem discurrendum est, itaque
quod bonâ vestrâ pace fiat, non saltabo.
Jam arcanum vobis alterum aperio
prandebimus.

S C E N A IV.

Brandon. Turbo. Harleq.

B. **Q**uas ego hîc literas gero, literæ
non sunt, sed lapides, pugiones,
milites, quib. ego Germanum illum ita
delebo, ne quis unquam gloriatur, Gal-
lo impunè ereptam amasiam. Sed hîc ad
fores Labellæ stabo, ut quamprimùm,
prodibit Turbo, hîc me observet, &
has meas literas. T. Tu mensam instrues
interea, dum ego adduco Labellam me-
am. n. Nihil est, quod agam prompti-
us. Nam labor hic mercedem habet
comitem. T. O Amor, nimium prom-
ptus mihi es, adeò ad nutum mihi cuncta
veniunt. Amavi, redamavit, petii impe-
travi, vocavi, veni. Non osculum est,
non suavium, non basium, quod mihi
denegetur. Sed quis egreditur hac? B.
heu mihi! Germanus notavit literulas?

T. heu